


CIMELIA


O

1635



Cim 1635





DIALECTICÆ ET RHETORICÆ PRÆCEPTA.

*A Stephano Micano, in vsum discipulorum
suorum nuper collecta.*

NUNC verò post operam Venerabilis
domini Magistri Ioannis Casparis Leopoli-
ensis, paulò fufius & latinius in lucem edita.



CRACOVIAE,
Anno Domini, 1585.

IOANNES CA-
SPARIS LEOPOLIENSIS
IN ACADEMIA CRACOVIENSI
Professor artium, studioso
Lectori S. P. D.

PER opportunè profectò accidit, optime
lector, ut dum ego Illustri & admiranda
indole virtutis puero, Andreae Teczy-
nio, Illustris & Magnifici Andreae Comi-
tis in Teczyn, Palatini Lublinensis filio tenello illi qui-
dem, sed erga bonarum artium studia flagrantissimo, Di-
alectices aliquem gustum proponere cogito: ecce mihi
forte fortuna incideret in manus libellus præceptorum
Dialectices, simulatque Rhetorices, quæ Stephanus Mi-
canus admodum adolescens, suorum in gratiam discipu-
lorum dictarat. Quæ cum viderem non ætati solum illu-
stris pueri, sed etiam utilitati tuæ multum convenire ac
conferre, quò minus laterent amplius, sub incudem dare
non dubitavi: certò mihi persuadens, vel sola breuitate
atque methodo, multum sibi & autoritatis & commen-
dationis apud omnes cōparatura. Ego enim ita semper
iudicavi, nihil esse ad formandos adolescentulos, succin-
ctæ præceptorum breuitate commodius, nihil ad matu-
riorem studiorum fructum ociùs comparandum aptiùs.
Difficile dictu esse, quantum moræ plerumque adferat
festinatio non ignoro: atque inter succinctam docendi
rationem

Cini. 1635

1571 K 151 St D.

rationē & intempestā festinationem permultum inter-
esse, te vicissim non ignorare puto. Fit plerumque ut qui
sit breuior, non sit non obscurior. Verū ita est, mihi
crede, Micanus breuitate perspicuus, & perspicuitate
clarus, ut breuior an clarior fuerit, vix dum iudicare
queas. Multorum lucubrationib. nihil detractum cupit:
illud tamen affirmare ausim, prima Dialectices in adole-
scentioribus initia, si iacienda sunt, non aliunde quā
ex his petenda esse. Quod quidem non difficulter com-
monstrarem: si non res ipsa pro se disertē ageret.

Fac igitur candidē lector, ut dum fructum vberem
ex breuioribus hisce captas, gratitudine animi maiora
à clarissimo iuxta quā doctissimo nunc iam viro, elice-
re contendas. Hoc te mihi credere velim, nec laboris in-
perdiscēdis his pœnitudo, nec te fructus capiet vnquam
satietas. Vale, & nostrum hunc in edendis alienis cona-
tum, donec interim nostra maturescant, boni consule.

Datæ Cracouiæ è Collegio Maiori, 20. mensis
Martij: Anno, 1578.



D I A L E C T I C A E

COMPENDIUM.

QVID EST DIALECTICA?



Dialectica est ars differendi. Differere est, ordinè aliqua de re dicere: hoc est, definire, diuidere, & argumentari.

CIRCA QVID VERSATVR

Dialectica?

Dialectica versatur circa voces simplices & compositas.

Simplex vox est, cùm de vno aliquo vocabulo tractatur: vt Virtus, Deus, homo.

Composita, est ipsa propositio: vt Virtus est summum bonum.

Simplices voces, definitione & diuisione explicantur: Compositæ autem probantur aut improbantur argumentando.

DIVISIO DIALECTICÆ.

Dialectica est duplex: Inueniendi & Iudicandi.

Inueniendi: quæ monstrat Locos, è quib. argumenta & materiæ dicendi sumuntur.

Iudicandi: quæ tradit formam explorandi inuentum argumentum, vtrum membra rectè cohæreant, nec ne.

sed vt consequaris illa, opus est primùm cognitione

COMPENDIVM.

cognitione Prædicabilium & Prædicamentorum.

DE PRAEDICABILIBVS.

Quinque sunt voces Prædicabiles, quæ ideo sic vocantur, quòd vna vox de alia prædicatur.

Prædicabilia, Latinè vocantur voces, κατ' ἔναγκαν Græcè: sic prædicari Latinè dici.

EXEMPLVM.

Genus est nomen commune, quod dicitur de multis speciebus, vt animal de homine, lupo, vrsò dicitur in Quid est. Nam quæro: Quid est homo? est animal. Quid lupo? Animal: Ergo benè dicitur, homo & lupo est animal: quia vterque est substantia, sensus particeps.

Species, est vox, quæ de indiuiduis dicitur, vt homo de Petro, Paulo.

Indiuiduum autem dicitur nomen proprium.

Differentia, est propria rei nota, vt homo à lupo, propria differt nota, nempe ratione.

Proprium, quod vni soli alicui, & vniuersæ speciei competit: vt homini numerare.

Accidens est quod abest & adest alicui subiecto, præter eius corruptionem, vt albor

D I A L E C T I C A E

potest tolli à piete, sine eius interitu. Subiectum autem hic dicitur, cui accidens inheret

EXPLICATIO PRAEDICABILIVM.

Genus est duplex: Generalissimum siue supremum, quo non est aliud vocabulum communius, sicut sunt decem Prædicamenta: Substantia, Quantitas, Qualitas, &c.

Subalternum siue Intermedium aut Interiectum, quod ratione diuersa, aliàs Genus, aliàs Species vocatur. Nam habita ratione inferioris est Genus: propter superiora fit Species: vt animal, quum refertur ad hominem, est Genus: cum verò ad animatum corpus, fit Species: Animatum namque corpus, etiam plantas complectitur.

Species infima & proxima indiuiduis, vocatur species vltima, vulgò specialissima, vt homo, bos.

Species verò, quam Subalternam vocat, est: quæ potest esse & Genus & Species. Nam Infima illa semper est Species.

Differentia, est quædam communis, quæ non perfectè discernit Speciem à cognatis, vt Bipedem esse est differentia generalis hominis, gallo etiam conueniens. Sunt autem cognata: quæ ex eodem genere descendunt, vt homo, gallus, leo, ex animali & substantia.

Est etiam Specialis differentia: quæ perfectè

COMPENDIVM.

HÆC HABET SEX MODOS,

cum conclusionē particulari.

- Da Quicunque plurimum cupit, pauper est:
- Rap Quicunque plurimum cupit, auarus est: Ergo
- Ti. Auarus aliquis pauper est.
- Fe Nulla virtus fugienda est:
- Lap Omnis virtus labore paratur: Ergo
- Ton. Labor aliquis fugiendus non est.
- Di Nonnullæ voluptates turpes sunt:
- Sa Omnis voluptas delectat:
- Mis. Quædam igitur quæ delectant, turpia sunt.
- Da Omnis voluptas delectat:
- Ti Quædam voluptas turpis est:
- Si. Turpe igitur aliquod delectat.
- Bo Quædam voluptas non est licita:
- Car Omnis voluptas est suauitas sensus: Ergo
- Do. Quædam suauitas sensus non est licita.
- Fe Nulla turpitudine est approbanda:
- Ri Quædam turpitudine est vulgò recepta: Ergo
- Son. Quædam vulgò recepta non sunt approbanda.

Hactenus syllogismus perfectus tractatus est: nunc reliquæ argumentationum species sunt ordine considerandæ, maximè frequentes.

PRIMUM EST

Enthymema, Latine commentum: et constat ex Maiori vel Minori proloquio cum conclusionē, ideoq; vocatur argumentatio mutilata,

D I A L E C T I C A E

EX MAIORI.

Veneficus est damnandus: Ergo Cælius iure damnatur.

EX MINORI.

Cælius est veneficus: Ergo Cælius iure damnatur.

Prima pars Enthymematis, vocatur antecedens, altera pars consequens dicitur.

Secunda species argumentationis

Inductio, quando ex multis singularibus probatur vniuersale: vt Iustitia, prudentia, fortitudo, temperantia, liberalitas, habent honesti appellationem: Ergo omnis virtus moralis honesti appellationem habet. Græci hanc rationem vocant ἐπαγωγὴν.

Tertia species argumentationis

Exemplum, quod Græci vocant παραδείγμα. Est autem argumentatio, in qua vnum ex alio, propter mutuum quendam consensum atque similitudinem, inductionis more colligitur: vt si proponas, Viri fortis esse officium, tueri cōstanter patriam contra insultus hostium: statim venit tibi in mentem Coles ille apud Liuium, in 2. lib. ab vrbe condita: qui arcendo hostes, in Tyberim præcipitem se ex ponte dedit, ac incolumis ad suos tranauit. Quo quidem exemplo, ac aliis exemplorum dictis, sententijs, paræmijs, allegorijs,

COMPENDIVM.

vocibus Prædicabilibus commonstratum est, generi cum specie cognitionem intercedere, speciem de individuo dici, differentiam cum specie cognatam esse: sic in Prædicamentis, generum, specierum & differentiarum ordines & gradus notandi sunt.

Prædicamenta Fabius vocat elementa: Aristoteles κατηγορίας. Nam & Cathegoria, sicut κατηγορέμενον, ex verbo κατηγορέω manat: quod eò loci significat, dicere de alio, barbarè, prædicare.

DECEM IGITUR SVNT PRÆDICAMENTA.

Substantia, Quantitas, Qualitas, Ad aliquid, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, Habitus. Est quoddam etiam vocabulum maxime commune, quod vocatur ens, siue res, aut transcendens: quia trāscendit omnia ista decem prædicamenta. Et hoc diuiditur, in Substantiam & Accidens. Primum prædicamentum, continet Substantias: reliqua nouem, sunt ordines accidentium, vt patebit.

QVID EST SVBSTANTIA?

Substātia est res, quæ per se subsistit, etiam si illi nullum accidens accedat, vt Homo manet, etiam si nunquam albescat, aut nigrescat.

SEQVITVR CLASSIS SVB- STANTIARVM.

B Genus

DIALECTICAE

Genus summum.

Differentia.	Corporea,	Substantia,	Incorporea.	Differentia.
	Simplex,	Corpus,	Mistum.	
	Animatum	Corpus mistum,	Inanimatum.	
	Sentiens,	Corpus animatum,	Non sentiens.	
	Ratione præ-	Animal,	Expers rationis.	
	ditum,			
	Plato,	Homo,	Aristoteles.	

Species infima.

QVID EST QUANTITAS?

Quantitas est, qua res metiri licet, vel secundum magnitudinem, vel multitudinem.

QUANTITAS EST DVPLEX.

Continua est magnitudo, cuius partes cohaerent communi termino: vt columna.

Discreta, est multitudo, cuius partes non cohaerent: vt in numero, 1. 2. 3. 4. Hic enim partes non cohaerent.

SPECIES CONTINVAE QUANTITATIS sunt tres.

Linea est, quum longitudo tantum consideratur: vt Vlna, arcus.

Superficies, est longitudo & latitudo: vt Area, camera.

Corpus, est longitudo cum latitudine & crassitudine: vt Pila, tessera.

OBIECTIO.

Cur

COMPENDIVM.

Cur numeras corpus in quantitate, quum sit substantia?

RESPONSIO.

Corpus dupliciter consideratur: Physicè & Mathematicè.

Corpus Physicum, est substantia: at corpus Mathematicum, est quantitas, quum scilicet tantum longitudo, latitudo, & spissitas spectatur.

SPECIES DISCRETA QUANTITATIS sunt duæ.

Vna, numerus: altera, oratio: quatenus pronuntiando syllabæ longæ & breues discernuntur.

IN HOC PRÆDICAMENTVM, mensuræ liquidorum & aridorum sunt referendæ.

Aridorum	{	Modius.	Liquidorum	{	Amphora.
		Semimodius.			Vrna
		Sextarius.			Quartarius.
		Cyathus.			

Et mensuræ etiam Geometricæ: vt pes, passus, cubitus, mille passus, milliarc.

Quid est Qualitas?

Qualitas est qua res quales esse dicuntur, vt, Albore, est aliquis albus: bonitate bonus.

SPECIES QUALITATIS EST quadruplex.

B 2 Prima

D I A L E C T I C A E

Prima est habitus & dispositio, quę differunt:

Habitus est qualitas animi vel corporis, longo usu cōparata: qua ad agendum promptiores & certiores efficimur, vt, Ars benē dicendi, saltandi.

Dispositio autem est, ad rem aliquam affectio: sed nondum longo usu & tempore corroborata: vt, Actiones habitum pręcurrentes. Ex habitu itaque, doctus fit quispiam: ex dispositione, studiosus literarum. Dispositionem rectius diceres Diathesim, Gręca voce: aut affectionem, Latina.

D I V I S I O.

Habitus mentis, aut est in intellectu aut in voluntate. In intellectu sunt omnes artes & scientię: in volūtate sunt virtutes & vitia.

Secunda species, est naturalis potentia & impotentia itidem naturalis. Hęc dicitur, qua quis natura reluctante, aliquid agere conatur: illa verò est ad rem aliquam propensio. Naturalem potentiam Latinē diceres, vim seu facultatem naturalem: Impotentiam verò, imbecillitatē, relictationem, ue naturę

Vtraque est duplex.

Animi, vt Docilis, indocilis: memor, im-
memor: sœuus, mitis, placidus.

Corporis, vt robur, velocitas, duricies,
segnitia.

COMPENDIUM.

segnitia, alacritas, venaticus, &c.

Tertia species, Passio seu affectus: & est auersa à recta ratione, contra naturam, animi commotio: vt Læticia, dolor, spes, metus, amor, ira, odium.

Hic affectus est duplex.

Animi scilicet, & corporis.

ANIMI EST DUPLEX.

Vnus: in appetitu sensitivo (vt vocant) est, qui hominem huc & illuc rapit. Alter est in ratione, qui docet & explanat, quid faciendum fugiendumue sit.

Corporis affectus est, qui sensus externos mouet.

vt	{	Color	}	mouet	{	Visum
	{	Sonus			{	Auditum
	{	Odor			{	Olfactum
	{	Sapor			{	Gustum
	{	Humidum			{	Tactum.

Quarta species, Forma est & figura, quæ differunt. Nam figura est collatio partium, vt in triangulo ▽.

Forma autem est species & pulchritudo figuræ, quæ ex collatione emergens, cadit sub sensum. Vnde formosi & deformes dicuntur: in hac autem figura nomina ædificiorum reponuntur, vt Templum, palacium, curuum, rectum, fastigiatum, semirectum, erectum.

DIALECTICAE

APPENDIX.

Similitudo oritur ex Qualitate: Aequalitas autem, aut inæqualitas, ex quantitate.

QVID EST RELATIO?

Relatio, est mutua rerum collatio, vt

Pater	} confertur cum	Filio
Dominus		seruo
Confit ⁹ locus		Inculto.
Iuuenis		Sene
Æquale		Inæquali
Simile		Disimili.

Finire nomina relationis, non est difficile. Nam illorum definitio plerunque fit etymologia: vt Pater dicitur, qui habet filium: Creditor, qui pecuniam credit: Debitor, qui debet: Locator, qui locat domum: Conductor, qui conducit domum.

Quid est Actio?

Actio, est applicatio agentis ad patiens: vt Calefactio ignis, est applicatio ignis ad aquam, quæ calefit.

Quid est Passio?

Passio est applicatio patientis ad agens: vel est effectus actionis: vt, Calefactio aquæ est applicatio aquæ ad ignem.

Quid est Vbi?

Vbi est notatio loci, & comprehendit discrimina locorum, quæ sunt: Superius, inferius,

COMPENDIUM.

ferius, dextrum, sinistrū, anticum, posticum.

Quid est Quando?

Quando, comprehendit tempus & partes temporis: Præsens, præteritum, futurum, heri, cras, &c.

Situs quid est?

Situs est, tum totius corporis, tum partis dispositio: vt Stare, sedere, iacere, cubare, supinum esse, pronum esse.

Habitus quid est?

Habitus hic significat rationem vestiendi, & comprehendit nomina vestium: vt tunicatum, palliatum, togatum, ocreatum, caligatum, galeatum, pileatum.

Vsus Prædicamentorum.

1. Vsus Prædicamentorum est magnus, nam principiò, thematis simplicis definitionem perscrutaturus, ad hos generales rerum ordines confugies, & hinc definitionem thematis expromes.

2. Fabius Quintilianus, substantiam, qualitatem, quantitatem & relationem ad status Rhetoricos pertinere scribit. Nam proposito themate simplici, per hæc quatuor Prædicamenta illud tractandum putat, vt primò dicas de substātia, id est, quid sit, vt Quid sit Iustitia: Est virtus reddens unicuique quod suum est, deinde, quanta sit res, id est in quot partes

DIALECTICAE

partes diuidatur: sic duplex erit iustitia: Ci-
uilis & diuina. Tertiò, Qualis sit res, quali-
tas ne sit, vel animi, vel corporis: vt ille sit.
Quartò habeat ne res ista mutua cum alia
re collationem: sic iustitia confertur cum
iudice.

Alia verò sex Prædicamenta, ad certos
argumentorum locos referuntur: vt Prædi-
camentum agere, eò facit, vt intelligamus,
sciens ne commiserit quis aliquid, an insci-
ens: necessitate urgente, an casu: aut quo in-
strumento quid quis fecerit, gladio ne, an se-
curi: quo gestu, seu impetu.

Pati huc respicit: quum quis se indigna
passum, grauiter læsum, iniuriis oneratum
conqueritur.

Vbi, huc facit: quo loco quis hoc vel il-
lud commiserit: in cœtu ne populi an domi,
in templo ue.

Quando, huc spectat: quo tempore quid
factum sit. Sic grauius punitur factum, quod
die sacro admissum est. Horsum etiam refer-
tur, in quam ætatem aliquid cadat: vt, Stultè
puer fecit.

Situs, præbet etiam argumentum: vbi
hoc vel illud sit factum: vtrum in plano, an
montoso loco, sic loca & vrbes à situ com-
mendantur.

Habitus

COMPENDIVM.

Habitus, suppeditat argumenta Vergilio 4. Aeneid. ubi describit Didonis professionem ad Aeneam, venandi causa.

Tandem progreditur, magna stipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum;

Aurea purpuream subnectit fibula vestem,

Item 1. Aeneid.

Cui mater media sese tulit obuia sylua,

Virginis os habitumq; gerens, & virginis arma.

Habes iam summatim tractatas quinque prædicabiles voces, (quæ ab alijs & vniuersalia vocantur) ac decem prædicamenta: ex quibus omnibus ars differendi nascitur, hoc est, definitiones, diuisiones & argumentationes. Restat, vt singula breuiter explicentur.

DE DEFINITIONE.

Quid est Definitio?

Definitio est oratio, quæ nominis & rei vim ostendit. Nominis: vt Cicero, in lib. 1. de Officijs, definiens nomen fidei fecit: Fidem appellatam esse credim, quia fiat quod dictum est. Stoici namque putant, ex fio, & dico, compositam esse vocem. Definitio rei constituitur ex genere & differentia: vt, Homo est animal præditum ratione. De legibus definitionum audies infra.

C

DE DIVI-

DIALECTICAE
DE DIVISIONE.

Quid est Diuisio?

Diuisio, est generis in species per differentias diductio. Qui enim benè distinguit, benè docet. Sine diuisione Plato affirmat, nihil certo neque intelligi, neque explicari posse. Itaq; Socrates in Phædro ait, Si quem diuidendi peritum inuenerit, eiusse vestigia, tanquam Dei, sequi solere.

Quatuor sunt diuisionis species.

Vocabuli in significata, vt Canis, aliàs piscem, aliàs sidus cœleste, aliàs animal domesticum significat. Ergo trifariam diuiditur.

Generis in species: idq; frequenter per differentias, vt animal diuiditur, in hominem & bouem, per rationale & irrationale.

Totius in partes, vt Corpus hominis totum diuidimus, in caput, ventrem, pectus, pedes, manus: & hæc vocatur partitio, sicut superior, propriè diuisio dicitur.

Subiecti in accidentia: vt, Scholasticorum alii sunt studiosi, alij nebulones. Definitio igitur, & diuisio, explicant voces simplices: Compositas verò, seu propositiones argumentatio tractat. Quare de propositionibus & argumentationibus, quæ dicentur, attentè leges.

DE PROPO-

COMPENDIVM.
DE PROPOSITIONE.

Quid est Propositio?

Propositio, est oratio, verum vel falsum significans. Hanc Varro appellat proloquium, Cicero pronuntiatum, enunciationem, effatum: Græci πρότασις. Nam propositio, Ciceroni dicitur, quam maiorem in syllogismo vocamus.

Partes Propositionis duæ.

Subiectum est, de quo aliquid dicitur: vt Homo.

Prædicatum est: quod de aliquo dicitur: vt Bulla. Ergo, homo est bulla, erit pronuntiatum.

Subiectum Græcè dicitur ὑποκείμενον. Prædicatum verò, quod ipsi κατηγορούμενον appellant, Latini appellant attributum, aut dictum.

PROPOSITIO SECVNDVM

substantiam est duplex.

Categorica, simplex est, constatq; ex Nomine & Verbo: vt Homo viuit.

Hypothetica est, vocariq; potest composita seu copulata, eo quòd ex duabus componitur categoricis, vt Si homo viuit, spirat quoque.

Hypothetica propositio est triplex.

Conditionalis, quæ adhibita conditione aliquid enuntiat: vt Si dies est, sol ortus est.

C 2 Latinè

D I A L E C T I C A E

Latine dici potest, connexa.

Copulatiua : Homo est animal ratione præditum, & bos est animal brutum. Hanc vocare possumus coniunctam.

Disiunctiua: aut malum est voluptas, aut bonum. Disiunctam nominare licebit.

Duplici autem modo barbara & non Latine fiunt vocabula, phrasēsq;: tum quòd probati Latini eis non vtuntur : tum quòd alio sensu vtuntur : Disiunctiuum enim non dicunt: propositionem aliter vsurpat Cicero.

Propositio secundum Qualitatem est duplex.

Affirmatiua, Latine aiens: quando prædicatum affirmatur de suo subiecto, vt Homo est animal rationale.

Negatiua, quando prædicatum negatur de suo subiecto, vt Homo non est animal rationale. Negantem Latini vocant.

Propositio secundum Quantitatem est quadruplex.

Vniuersalis, particularis, indefinita & singularis.

Vniuersalis, cui inest particula vniuersalis: sicuti sunt, Omnis, nemo, nemo non, quis non, nihil non. Quantum: vt, Quantum est hominum, id est, omnes homines. Quicquid, vt Quicquid erat copiarum: id est, omnes copiae. Quædam insuper Prouerbia sunt propositi-

COMPENDIVM.

propositiones vniuersales: vt illud, Miscebis sacra profanis: id est, omnia confundes. Omnes homines melius sibi malunt quàm alteri. Hæc etiam generalis dici potest.

Particularis, cui inest particularis particula: vt sunt: Quidam, quædam, aliquis, plerique: vt Plerique homines non prius sapiunt, quàm accepto malo. Latine appellabitur, specialis, & ex parte dicens.

Indefinita, seu incerta, quæ nullo signo est circumscripta: vt Magistratus sunt honore afficiendi.

Singularis, vel indiuidua, in qua est indiuiduum: vt Milo iure Clodium occidit: aut, Hic est Filius meus dilectus.

APPENDIX.

Modi quærendi de supra dicta propositionis diuisione sunt tres. Quæ, qualis & quanta. Quæ, de substantia quærit. Qualis, de qualitate. Quanta de quantitate propositionum.

MATERIA PROPOSITIONVM.

Materia propositionum, est prædicati ad subiectum ratio & affectio.

QVÆ EST TRIPLEX.

Naturalis, quum prædicatum est de natura subiecti, vel proprium eius: vt, Homo est animal: Homo est vtens ratione, & orati-

D I A L E C T I C A E

one: Petrus est homo.

Continens, quum prædicatum potest ab esse & adesse subiecto, præter eius corruptionem: vt, Homo est albus, homo est Musicus.

Remota, quando prædicatum non potest conuenire subiecto, vt homo est asinus.

Cognitio materiæ propositionum parit iudicium. Necessaria enim, fidem & scientiam: Contingentia, opinionem & coniecturam pariunt: pugnantiæ verò, sicuti naturæ, ita artis quoq; harmoniam dissoluunt.

D I F F E R V N T I S T A.

Scientia, est assensus firmus, habens demonstrationes rationibus firmatas.

Opinio, est assensus infirmus non habens demonstrationes.

Fides, est assensus firmus erga promissionem diuinam, sine demonstratione rationis, in autoritate verbi Dei acquiescens.

Demonstratio, est probatio necessaria & certa, ex principiis collecta.

Principia sunt notitiæ, diuinitus iussitæ in natura, quæ nobiscum nascuntur, & quibus omnes sani naturaliter assentiuntur: vt, Omne totum maius est sua parte.

Scientia differt ab arte.

Scientia est, quatenus inquit demonstrationes rationis.

Ars

COMPENDIUM.

Ars verò, quum ad vsum refertur. Notitia autem est rei simplicis, vt dictionis: aut complexæ seu compositæ, nempe propositionis.

Pugna seu oppositio propositionum.

Repugnantia, seu oppositio propositionum, est pugna eiusdem subiecti & prædicati in qualitate & quantitate vel in harum singulis.

Pugna propositionum est quadruplex.

Contraria, quando duæ propositiones vniuersales, eiusdem subiecti & prædicati, altera affirmatiua, altera negatiua, pugnant, vt Omne animal spirat: Nullum animal spirat.

Natura contrariorum hæc est: quod nunquam possunt esse simul veræ: licet in contingentibus, possint esse simul falsæ: vt Omnis homo pius: Nullus homo pius.

Subcontraria, quando duæ particulares sola qualitate pugnant: vt Quoddam animal spirat, Quoddam animal non spirat.

Natura harum esse dicitur: quod nunquam possunt esse simul falsæ: licet in contingentibus,

D I A L E C T I C A E

bus, simul veræ fieri possint: vt Quidam homo est Orator: Quidam homo non est Orator.

Hæc autem lex subcontrariorum quàm vera sit, doctissimus vir Valerius Vltraiectanus, qui doctè & Latine Dialecticam scripsit, docet. Quum enim oppositio sit ad idem referenda, profectò verior est ea lex subcontrariorum.

E subcontrarijs, alterum sit verum, falsum alterum nec potest vtrumque in fortuitis simul esse verum. Nam vnus & idem homo vno eodèq; tempore ac loco nequit esse & non esse Orator.

Contradictoria, quando duæ propositiones, eiusdem subiecti & prædicati, qualitate & quantitate pugnant: vt sunt Vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, aut contra. Has nominare licebit melius, contradicentes.

Natura harum est, quod si vnum est verum, alterum sit falsum, vt, Plato differit: Plato non differit.

Subalterna, particulares sunt ex Vniuersalibus collectæ, vt, Omnes homines spirant: Quidam homines spirant. Eius tamen generis propositiones, quum nullam habeant negantiam, propriè non dissentiunt.

Quæ pugna

COMPENDIUM.

Quæ pugna sic in figuram redigitur.

Omne ani-
mal spirat.

Contrariæ

Nullum ani-
mal spirat.

Subalterne.

Contradi-

ctoriæ.

Subalterne.

Contradi-

ctoriæ.

Quoddam a-
nimal spirat.

Subcontrariæ.

Quoddam a-
nimal non spi-
rat.

1. Vſus pugnantium proſitionum, præ-
ter argumentationes inde petitas, valet ad
confirmationes. 2. Fit etiam manifeſtum
nobis, quæ inter ſe diſſident nunquam. 3.
Valet ad refutationes: vt poſſimus aduerſa-
rio obijcere, pugnantia ab illo in medium ef-
ſe producta, proinde eius dicta nullius mo-
menti eſſe. Sed conuerſio proſitionum v-
tilis etiam eſt ad multa: quæ eſt ſubiecti in
prædicatum commutatio, quæ tibi ex aliis,
cum æquipollentiarum canonib. patebunt.

MODALIS PROPOSITIO.

Modalis proſitio appellatur, quæ ef-
fertur, per

Poſſibile,

Impoſſibile:

D

Contingens

D I A L E C T I C A E

Contingens,	Necessarium:
Verum,	Falsum:
Vtile,	Inutile:
Facile,	Difficile:
Certum,	Incertum:
Consuetum,	Insuetum:
Iucundum	Iniucundum:
Decorum,	Indecorum.

Possibile est Turcam tota Vngaria expulsum iri.

Facile est disertam causam vincere.

Difficile est aduersus stimulum calcitrare.

Modalem licebit Latine dicere, modificatam seu modo quodam enuntiatam.

A R G V M E N T A T I O

Græcè syllogismus.

Argumentatio, est oratio, in qua quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud euenire, per ea quæ posita sunt: id est, Est oratio, in qua positis duabus propositionibus, necessario sequitur conclusio. Argumentari enim nihil aliud est quàm aliud ex alio ostendere, hoc est, ex propositionibus conclusionem colligere: vt statim patebit.

PARTES SYLLOGISMI SVNT.

Duæ propositiones, & conclusio.

Tres termini, id est, voces, seu appellations, è quibus syllogismus conficitur.

DECLA-

COMPENDIVM.

DECLARATIO.

Prima propositio Maior vocatur: quia est sententia quædam communis, in qua argumenti cardo vertitur, Latinè, propositio, seu propositum appellabitur.

Secunda propositio Minor vocatur, Latinè assumptio, assumptum.

Conclusio, est propositio, approbata duobus propositionibus, quæ Subsumptiones Latinè, vulgò nominantur Præmissæ, conclusionem etiam appellat Cicero complexionem.

Declara tres terminos.

Maior terminus est, qui ponitur in Maiore proloquio extra medium.

Minor terminus, qui ponitur in Minori proloquio, extra medium.

Medius autem est terminus, qui sumitur in duobus proloquiis, nec sumitur in conclusionem. Nam medium à cōclusionem arcetur.

Cur medius terminus, medium vocatur?

Quia in eo alii duo termini iunguntur, Maior & Minor.

Declara exemplo.

Quicquid appetitur, habetur bonum.
Voluptas appetitur: Igitur voluptas habetur bonum.

Ecce vides, quomodo verbum appetitur.

D 2 est

D I A L E C T I C A E

est terminus Medius, in quo alij duo termini iunguntur, nempe bonum & voluptas. Ergo bona est argumentatio, secundum illam regulam Dialecticorum:

Si duo, cuidam tertio consentanea sunt, inter se consentanea esse dicimus, & ratiocinationem consentaneam esse affirmamus.

Scies facile componere syllogismos, cognita prius Figura & Modo.

F I G V R A E T M O D V S

syllogisticus.

Figura est apta medii termini collocatio in duobus enunciatis.

Modus est apta dispositio propositionum, in ipsarum quantitate & qualitate.

Hic obserua tres regulas, & postea vocabula artis Dialecticæ.

P R I M A R E G V L A.

Ex purè particularibus propositionibus nihil sequitur.

S E C V N D A.

Ex puris negatiuis nihil certi colligitur.

T E R T I A.

Si aliquod proloquium in syllogismo fuerit particulare, aut negatiuum: conclusio etiam conficietur particularis & negatiua.

Vocabula artis.

A. Notat vniuersalem propositionem affirmatiuam.

E. Notat

COMPENDIVM.

E. Notat vniuersalem negatiuam.

I. Particularem affirmatiuam.

O. Particularem negatiuam.

FIGVRÆ SYLLOGISTICÆ

sunt tres.

PRIMA FIGVRA.

Prima figura, est ratiocinatio, in qua medium, in Maiori proloquio subiecti loco, in Minori, prædicati loco ponitur.

Modi primæ figuræ sunt quatuor.

Fac igitur syllogisum in prima figura & modo primo. Scies autem, nullum hic esse vsum aliarum literarum, in Modis, nisi vocabulum tantum.

Bar Omne malum est fugiendum:

Ba Omne homicidium est malum: Ergo

Ra. Omne homicidium est fugiendum.

Ce Nullum animal est lapis:

La Omnis homo est animal: Ergo

Rent. Nullus homo est lapis.

Da Omnes seditiosi iure puniuntur:

Ri Catilina fuit seditiosus: Ergo

I. Catilina iure punitus est.

Fe Nullus Magistratus iure occiditur:

Ri Caius Cæsar fuit Magistratus: Ergo

O. Caius Cæsar non est iure interfectus.

SECUNDA FIGVRA.

D

;

Secunda

D I A L E C T I C A E

Secunda figura est: in qua medius terminus, tum in propositione tum in assumptione, prædicati locum sibi vendicat.

M O D I S E C U N D A E F I G U R A E S U N T
quatuor, sed negatiui.

- Ce** Non est infringendum quod Deus edixit:
Sa Omnes parentes honore afficiēdos Deus edixit:
Re. Ergo Honor parentum non est infringendus.
Ca Omnis Christianus credit se per Christū seruari
Mes Nullus Iudæus credit, se per Christū seruari: Er.
Tres. Nullus Iudæus est Christianus.
Fes Nullus auarus est bonus Christianus:
Ti Aliqui Theologi sunt boni Christiani: Ergo
No. Aliqui Theologi non sunt auari.
Ba Omnes qui ex Deo sunt, verbum Dei audiunt:
Ro Iudæi verbum Dei non audiunt: Ergo
Co. Iudæi non sunt ex Deo.

Huius figurę est magna vtilitas, in causis coniecturalibus aut deliberatiuis: vt si deliberatio sit: linguarum studia sint ne excolenda, deliberationem hoc syllogismo expedites:

Nihil est omittendum, quod verum Dei cultum auget:
 Linguarum studia verum Dei cultum augent: Ergo
 Linguarum studia non sunt omittenda.

T E R T I A F I G U R A .

Tertia figura est in qua medium vt in maiori, ita in minori proloquio, subiecti loco ponitur,

H A C

COMPENDIVM.

fectè & propriam speciem discernit ab aliis omnibus, vt rationale (Græcè λογικόν Latine rationis particeps,) discernit hominem à cæteris animantibus.

Proprium dicitur quatuor modis. Primò: quod soli, sed non toti speciei conuenit: vt homini esse Medicum.

Secundò: quod toti, sed non soli conuenit, vt homini esse bipedem.

Tertiò: quod toti speciei, & soli, sed non semper conuenit: vt Canescere, conuenit soli & vniuerso homini, sed non semper, certo tantum ætatis tempore.

Quartò: quod speciei toti, soli, & semper conuenit, vt Homini ridere.

APPENDIX.

Proprium & differentia, communi consuetudine pro eodem vsurpantur: vt Sermo in homine, aliàs proprium, aliàs differentia dicitur. Hoc tamen differunt, quòd proprium significat propriam affectionem, rei iam factæ accidentem, quales sunt singulæ voces singulorum animantium. Differentia verò, partem speciei, quæ ad ipsam cõstituendam requiritur, designat.

Accidens duplex est: Separabile, vt Calor, frigus in corpore: Latitia, tristitia, in anima. Inseparabile: vt Calor in igne, candor in Cygno

D I A L E C T I C A E

in Cygno, nigror in coruo: quę tamen cogitatione separantur.

V T I L I T A S P R A E D I C A B I L I V M.

1. Vtilia sunt Prædicabilia, ad definitiones & diuisiones. In definiendo enim & diuidendo, necesse est scire genus & differentiam. Definitio namque ex genere & differentia constat: & diuisio fit per differentias.

2. Profunt etiam ad propositiones iudicandas. Monstrant enim, quo cum, quid cohaereat: quę voces coniungi possint, quę non. Nam voces tantum cognatę admittuntur in definitiones: & voces, minus communes definiuntur per magis communes: vt, Homo est animal vtens ratione, capax scientiæ. Nam latiùs patet animal, quàm homo.

Hęc coherent necessariò:	{	Species,	{	Homo.
		Genus,		Animal.
		Differentia		Rationale.
		Proprium,		Capax scientiæ.

Accidens non coheret necessariò cum subiecto: vt, Homo est Musicus.

D E P R A E D I C A M E N T I S.

Prædicamenta seu summa genera, decem sunt. Et nihil aliud sunt, nisi communes rerum cognitiones, in quę vniuersę res referri debent. Quemadmodum autem in quinque
vobis

COMPENDIUM.

goriis, parabolis, apologiis, etiam cohortari & persuadere aliquid possis. Sic itaque argumentareris: Horatius Cocles propter Rempublici pericula neglexit: Ergo talia pericula sunt negligenda.

Quarta species argumentationis.

Coaceruatio vel Sorites: quando res eiusdem prædicamenti, gradatim coaceruatæ colliguntur: ut Quercus est arbor. Arbor est substantia: Ergo Quercus est substantia. Falsus autem fit plerumque Sorites, in materia contingenti.

sunt & alie quædam argumentationes, quarum duas subiiciam adhuc oculis tuis.

PRIMA EST

Complexio, dilematis etiam nomen habens: in qua, utrumcunque concesseris, reprehenditur. Ut, aut legisti Poetas, aut non legisti: Si legisti, cur me legentem Poetas accusas? Si non legisti, cur quæ non legisti damnas?

Secunda argumentatio est.

Violatio, inuersio quoque dicta, in qua, ex aduersariorum ratione, non id quod ipsi volunt, sed quod pro nobis est, sequi demonstramus.

Hac specie utimur in confutatione: ut si quis diceret: iuris Candidatum à lectione Poetarum pariter & Oratorum oportere abstinere: & rationem afferret istam: Quia hi, ran

E tùm ad

D I A L E C T I C A E

tum ad linguam expoliendam faciunt: nos impugnaremus hoc modo: Imò verò hoc nomine iuris studiosus, tam Poetas quàm Oratores diligentissime leget: quòd hi ad cultum linguæ, qua Iurisconsulto cum primis utendum est, conferunt.

Occurrunt sæpenumero vitiosæ argumentationes, quas discas facile ex alijs ad euitandas fallacias. Hic tibi tres pono.

PRIMAM IN DICTIONE.

Iste pannus est de Anglia:
Anglia est terra: Igitur
Iste pannus est terra. Item,
Deus est vbique:
Vbique est Aduerbium: Igitur
Deus est Aduerbium. Item,
Quicquid ridet, habet os:
Pratum ridet: Igitur
Pratum habet os.

Secundam in accentu.

Omnis populus est arbor:
Gens est populus: Igitur
Gens est arbor.

Tertiam in oratione.

Tu es qui es:
Quies est requies: Igitur
Tu es requies.

Hæc Aristoteles in suis Fallacijs diligenter completus est.

COMPENDIVM.

xus est, ex quo hanc generalem discere regulam in iudican-
dis Sophisticis syllogismis. Si pronuntiata syllogismo-
rum non eodem, sed diuerso, intelliguntur modo, vana est
argumentatio: vt populus & populus: qui es, quies. Nam
hoc modo propter diuersam significationem plures fi-
unt termini quàm tres.

DE LOCIS ARGUMENTORVM.

Locus, est sedes argumentorum: argumentum, ora-
tio, quæ rei dubiæ facit fidem.

DVPLICES SVNT LOCI.

Quidam sumuntur à personis, quidam à
rebus, quorum exempla tantum, quibus faci-
lime docentur omnes, proponam.

A PERSONIS.

LOCVS A GENERE.

Parente optimo natus est: Itaque non est
verisimile, hoc eum facinus admisisse.

A NATIONE.

Huic nationi ii proprii sunt mores: Igi-
tur sequitur nationem.

A PATRIA.

Ille est Romanus: Ergo forti ingenio præ-
ditus est.

AB ÆTATE.

Ille puer est: Ergo nequaquam potuit ho-
micidium committere.

A SEXV.

Facilius latrocinium in viro, veneficium
in scemina.

E 2

Ab educa

D I A L E C T I C A E

Ab educatione & disciplina.

Optime educatus & institutus est: Igitur
& honestissimus & studiosissimus est.

Ab habitu corporis.

Cicero pro Roscio argumentatur sic:
Nonne ipsum caput & supercilia illa penitus
ab rasa, olere maliciam, & clamare callidi-
tatem videntur? qui idcirco est capite & su-
perciliis rasis, ne vllum pilum boni viri habe-
re dicatur.

A fortuna.

Peregrinus est: Igitur minus potens.

A conditione.

Est claro genere ortus: Igitur præclara
facta facit. Sunt alii multi loci personarum,
de quibus Rodolphus fusissimè, breuiter Cor-
nelius, scribunt.

LOCI A REBUS SVMTI.

A DEFINITIONE.

Animal rationale est: Igitur homo est.

LEGES DEFINITIONVM
sunt tres.

Primò: Definitio neq; plura neque pau-
ciora, quàm quod definimus, complectitur:
sed de quocunque vnum dicitur, dicitur &
alterum.

SENSVS ISTIVS LEGIS EST LV-
cidior in exemplo posito.

Si Iurispru-

COMPENDIVM.

Si Iurisprudentiam ita finias: Est scientia diuinarum & humanarum rerum: hinc plura finitio complectitur, quàm definitum.

Quomodo plura?

Nam Iurisprudentia nihil tradit de rebus diuinis, sed tantum res ciuiles tractat: Ergo superflue additur finitioni, diuinarum rerum scientia.

Quomodo pauciora?

Si discordiam ita finis: Discordia est bellum, hæc definitio pauciora complectitur, quàm definitum. Nam discordia, non est simplex bellum, sed est motus ciuium, aduersus Magistratus.

Secundò: Quid sit res, id est essentiam rei explicato.

Tertiò: Aperta esto, voces ambiguæ, obscuræ à longinquo translatae, à finitione absunto.

Ab Etymologia.

A Iustitia nomen obtinetis iudices: quare prospicite, vt iusta censeatis in iudiciis.

A materiali causa.

Vapor terræ sursum eleuatur: Igitur imbrem facit.

A formali causa.

Rotundum est vas: Igitur volubile.

A finali.

E

3

Domus

D I A L E C T I C A E

Domus constructa est causâ tuendi nos ab iniuriis cœli: Igitur nos in ea continebimus.

Ab efficiente causa.

Faber fuit egregius: Igitur ab eo facta est domus artificiosa.

A genere ad speciem.

Argumenta non possumus facere aliena: vt, Bellum est: Igitur tumultus est. Potest enim bellum esse sine tumultu.

A specie ad genus.

Iustitia est: Igitur virtus est.

A Differentia.

Si ratione caret, homo non est.

A Proprio.

Iustitiæ est, suum cuiq; tribuere, Hic suum cuiq; tribuit: Ergo iustus est.

A toto ad Partes.

Si tota Respublica consilio gubernanda est: Ergo & domus, & vnusquisque ciuium.

A Contrarijs.

Terra humida est: Ergo sicca esse non potest.

A Priuatione.

Mutus est: Igitur non loquitur.

A Coniugatis.

Fortiter agit: Ergo fortis est.

Ter. Homo sum, nihil humani à me alienum puto,

Ab adiunctis.

COMPENDIVM.

Ab Adiunctis.

Amat: Ergo sollicitus est: Res enim solliciti est plena timoris amor. Nam amor & sollicitudo, adiuncta sic sibi sunt, vt alterum sine altero esse non possit.

A Similibus.

Si abstinentia virtus est: Igitur & continentia.

SVNT ETIAM ALII LOCI SIGNORUM scilicet.

A loco, à tempore, ab occasione, à spe perficiendi aliquid, à commodo: qui valent ad probandum factum, vel negandum.

LOCI HYPOTHETICI.

A condicionali.

Si iustitia est: virtus est: Sed iustitia est: Igitur virtus est.

A disfunctione.

Aut prudentia est, aut continentia. Sed prudentia non est: Igitur continentia est.

His præceptionibus cognitis, facilius ad maiora peruenies.

RHETORICÆ VESTIGIVM.

M Arcus Cicero in Oratore ad Brutum, ait, Dialecticam finitimam esse Rhetoricam. Nam

R H E T O R I C A E

ca. Nam Dialectica nudam causam breuibus verbis, & tanquam punctis, designat. Rhetorica verò addit elocutionem rebus, à Dialectica inuentis, quas vestire solet ornamentis verborum, & sententiarum. Quare necessarium est, vt præceptis Dialecticæ cognitis, Rhetorica quoq; adiungantur, quæ nihil aliud in se continent, nisi eas regulas, per quas discen-tes adspirare possint ad eloquentiam. Elo-quentia autem est facultas sapienter & orna-tè dicendi: Rhetorica verò est ars, quæ docet viâ ac rationem sapienter & ornatè dicendi.

Officium Oratoris.

Oratoris officium est, vt appositè dicat ad persuasionem: hoc est, vt Doceat, moueat, & delectet auditorem.

Quinque sunt res, quibus paratur persuadendi facultas.

Inuentio, dispositio, elocutio, memoria, & pronuntiatio. Quæ etiam vis Oratoris, & Oratoris officia, vocantur.

Quid est Inuentio.

Est rerum verarum aut verisimilium ex-cogitatio, quæ causam probabilem reddant.

Hæc spectatur in partibus orationis, quæ sunt sex.

Exordium, narratio, propositio, confir-matio, refutatio, & conclusio.

1. Exordium, est principium orationis, per quod

C O M P E N D I V M.

per quod animus auditoris apparatus ad audiendum.

Sumitur, vel à personis, vel à rebus.

In exordio tria spectantur:

Beneuolentia, attentio, & docilitas.

Beneuolentia, quādo beneuolos facimus eos, apud quos sumus dicturi.

Attentio, quādo attentos facimus auditores, vt diligenter ab iis audiamur.

Docilitas, quando reddimus dociles auditores, vt intelligant hoc, de quo sumus dicturi.

2. Narratio, est rerum gestarum, aut perinde vt gestarum, expositio.

In narratione tria spectantur:

Primò, vt sit breuis, quod tunc fit, quando breuiter & summatim rem narramus, nihil superfluum referentes.

Secundò: vt sit dilucida. Hoc autem fit, dum ordinè rem, ita vt est gesta narramus, eamq; verbis perspicuis, & planis exponimus

Tertiò: vt sit verisimilis, id fit quando sic narramus, vt mos, opinio naturaq; rei postulat.

3. Propositio, argumentum dicendi continet.

4. Cōfirmatio, est nostrorum argumentorum cum asseueratione expositio.

F

In confirma-

R H E T O R I C A E

In confirmatione spectantur loci hi precipue,
qui sequuntur.

Primus, honestum, quod virtutes complectitur.

Secundus, vtile, quod rem aliquam esse vtilem demonstrat.

Tertius, facile, quod facilem rem demonstrat.

Quartus, difficile, commemorat pericula.

Quintus, Possibile etiam ac impossibile adiunguntur ad confirmationem.

A P P E N D I X.

A statibus etiam confirmationes petuntur. Stat⁹ autem nihil aliud est, nisi primaria sententia, de qua proprie est controuersia: vt Milo Clodium iure occidit.

Triples est status.

Coniecturalis, in quo coniectura valet.

Finitiuus, in quo definitio valet.

Iuridicialis, in quo ratio valet.

His cōueniunt tres quæstiones: An sit, quid sit, quale sit.

5. Refutatio, quæ argumenta aduersariorum infirmat: estq; contraria cōfirmationi.

6. Conclusio, est artificiosus terminus orationis.

I N C O N C L U S I O N E T R I A

spectantur.

Primum, amplificatio, dum per cohortationem,

COMPENDIUM.

tionem, auditoris animum ad indignationem concitamus.

Alterum, enumeratio, quādo ordine certo colligimus ea, de quibus prius verba fecimus, à confirmatione initium sumentes.

Tertium, conquestio: dum auditoris animum ad misericordiam commouemus.

Quid est Dispositio?

Est ordo rerum, qui demonstrat, quid quibusque locis sit collocandum.

IN DISPOSITIONE DVÆ

partes spectantur.

Vna ab arte proficiscitur: altera ad tempus accommodatur.

Quæ pars manat ab arte, sex partium orationis ordinem seruat: ita vt primo loco constituas exordium, secundo narrationem, tertio propositionem, quarto confirmationem, quinto refutationem, in extremo loco conclusionem, si postulat necessitas. Nam aliquando plures facimus, aliquando pauciores partes orationis.

Quæ verò pars ad tempus accommodata est, à narratione, vel firma aliqua argumentatione principium orationis suæ cōstituit, vt est apud Ciceronem pro Marcello. Atque hæc dispositio partium est orationis: alia est argumentorum, in quibus, aut Auxesis obser-

R H E T O R I C A E

uatur, aut in principio & fine firma, in medio minus firma locantur argumenta.

Q V I D E S T E L O C V T I O ?

Elocutio, est idoneorum verborum & sententiarum, ad inuentionem accommodatio.

In Elocutione duo spectantur.

Alterum, verba, vt Latinè, dilucidè, ornatè & aptè dicamus, de omnibus rebus.

Alterum, sententiæ, vt optimis sententis illud, quod inuenimus ac disposuimus, exornemus figuris & amplificationibus.

A P P E N D I X.

Elocutionis est triplex forma, seu character, ex aptè dicendo manans.

Primus Grandis, qui magna ex parte improprio sermone constat, Metaphoras crebriores & longius petitas adsciscit, copiosè amplificat, adhibitis omnibus figuris, & quasi de industria ostentat ornatum. Liuius & Cicero pro Milone & in Verrinis hoc characterem est usus.

Secundus Mediocris, qui medium seruat, inter grande & humile genus dicendi. Hoc Cicero in Officiis & alijs libris philosophicis vtitur.

Tertius Humilis, qui non assurgit vltra quotidianam loquendi formam seu consuetudinem, sed tamen omnia tractat suo ordine,
nec à

COMPENDIVM.

nec à proposito discedit. Hoc Terentius, Cicerone in epistolis Familiaribus, & aliàs nonnunquam adhibuit. Docet ergo Humilis, Grandis mouet, delectat Mediocris.

Sub Elocutione tres figurarum ordines continentur.

Primus ordo ad verba pertinet. Secundus ad sententias. Tertius ad amplificandam & augendam orationem: de quib. Rhetores.

QVID EST MEMORIA?

Memoria est firma animi, rerum & verborum dispositio; perceptio, quæ quidem exercitatione & labore assiduo adiuuatur. Hunc thesaurum auferunt hostes quatuor: Crapula, Venerea libido, somnus & ocium.

QVID EST PRONUNTIATIO?

Pronuntiatio, est vocis, vultus & gestus, cum venustate moderatio. Vox sit grandis, plena, non exilis, aut exigua: lenis non aspera.

Vultus modestus: fauces integræ, molles & lenes.

Gestus debet esse ipsi voci accommodatissimus.

Hactenus tractatæ sunt quinque res, quibus paratur persuadendi facultas: restant genera causarum, quæ breuibus attingam.

Sumuntur autem hinc cõfirmationis argumenta, ex propriis causarum locis.

Genera causarum omnium tria numerantur à Rhetoribus: sub quibus alia genera continentur,

F

3

Primum

R H E T O R I C A E

Primum ponitur genus Demonstratiuum, quo continetur laus vel vituperatio, rerum, personarum, factorum.

Deinde genus Deliberatiuum, quod versatur in suadendo & dissuadendo.

Tertiò Iudiciale genus, quod tractat cōtrouersias forenses, aut in aliquos inuehitur.

His tribus causarum generibus dabant Romani, *Rostra, Curiam, & Forum.*

Adiungunt alii quartum genus, nempe Didascalicum, hoc est, doctrinale, quo tum vtimur, dum aut docemus, aut interrogamus, aut exponimus, aut differimus, de rebus: quod quidem magis ad Dialecticam pertinet.

H V I V S A V T E M E X E M P L V M

tale esto.


Nactus es præclaras ingenij dotes: tu vide, ne tibi ipsi defuisse videaris. Opera precium est, ut cum ijs verseris, qui te meliorem doctioremq; reddere possunt. Neque odiosum est, seriò discere id, quod honestum est scire. Stylium igitur frequenter exerceas velim: quod fiet si interdum sumto themate quacunque de re scribas: vel oratione numeris astricta, vel soluta. Interdum Græca veritas Latine: aliquando Latina Græcè: & iam solutam orationem in carmen redigas, iam carmen in pedestri oratione decurrere facias. Sæpe etiam cum æqualibus, aut doctioribus disputabis, & nunc tua argumentis asseuerabis, nunc alterius dicta impugnabis. In vniuersum, in serijs æque ac ludicris

ac ludicris, bonas literas meditaberis. Videtamen, ne plus
 literis quàm morum urbanitati & comitati studuisse vi-
 deare. Ita fiet, vt sine inuidia laudem inuenias & amicos
 pares, vt ait Simo Terentianus. Ceterum quod ad lectio-
 nem spectat: velim, ne te diuturna & varia lectione obrui-
 as. Idem enim hic fieri debet, quod Medici de cibis præ-
 cipiunt: ne nos nimium ingurgitemus, sed ita edamus, vt
 aliquod edendi desiderium adhuc relinquamus. Memori-
 am autem ita exercebis: vt eorum, quæ legeris, meminis-
 se possis: quod fiet, si quæ legeris, identidem abs te exi-
 gas. Equidem non sum nescius, non perinde iucunda esse
 studia ijs, qui nondum aliquos in eis progressus effecerunt.
 Sic enim natura comparatum est, vt quo præclarius, quo
 admirabilior, quo magis est res aliqua expetenda, hoc a-
 ditus ad illam atque ingressus sit difficilior. Quemadmo-
 dum magnarum arborum altitudo nos delectat, stirpes
 radicesq; non item, ita in literarum ac virtutum studijs,
 progressiones, voluptatem mirificam, initia verò primi-
 q; introitus, aliquid laboris & molestiæ afferre consue-
 uerunt. Fac igitur, vt primo quoque tempore,
 quantum in bonis literis profice-
 ris, sciam. Vale.

Finis præceptionum Dialectices
 & Rhetorices.

412 H. 184300

200



Oddział Konserwacji
Zbiorów BJ
1980 r.

